

REVERENDISSIMI

ET AMPLISSIMI VIRI ANDREAE

Gerini, Episcopi Vratisslauien.

XEIPOTONIA

Sive mysticum connubium.

AB ANDREA SCHÖNEO GLOGOVIAN:
conscriptum.



CRACOVIAE

In Officina Lazari, Anno Domini

1585.

Andreas Schöneo



232341 I

GRABBE
Johann, Anton
1818

X E I P O T O N I A

siue mysticum connubium.



*Ama malum, nuper populos sermone replêrat
Luctifico, votis, fama sinistra, meis:
Fama erat, hinc fatis ereptū Præsulem, et eius
Pensa Deas viuus, euoluïsse, colis:
Euoluere dies Parca, lethumq; parârunt,
Ad Manes abiit, vita soluta, suos.*

*Vixit, quemq; dedit cursum natura, peregit:
Nescia mens fati, nescia mensq; mori.
Hoc casu concussi animi, mœstusq; per omnes
Ibat, cum gemitu, cum lachrymisq; dolor:
Ipsa sui nati, complexa Silesia, corpus
Dicitur, & structis incubuisse rogis,
Heu cadit, in quenquam tantus dolor: astra vocabat
Impia, crudeles dixerat esse Deos.
Interea alternant, alio de Præsule, multa
Multi, huc atque illuc, spes dubitata, fluit.
Inspiciunt acri Collegium acumine, tantos
Miranturq; viros, Odeni flaue, tuos:
Omnes florentes virtutibus, Arcades omnes,
Iunres, vno prosluisse toro,
Vsq; adeò similes: secum certare parati,
Omnes & meritis, & pietate pares:
Vsq; adeò; vt nemo hîc vel raris vocibus ausus
Hiscere, iudicio res ea maior erat:*

Obstupuere omnes, intentiq; ora tenebant,
 Suspensos tenuit, iustitia æqua, viros.
 Quid facerent : neq; enim hos inter, legeretur Apollo
 Arbiter, haud iudex, Oedipus ille, foret.
 Hoc tamen, hoc nobis solamen grande manebat,
 Prouidus ille animus, Slesia culta, tuus,
 Conciliūq; illud, patribus de more vocatis,
 Implebat timidos, spe vberiore, sinus,
 Iusserat & certam præsumere mente salutem,
 Diuersos animis excutiendo metus.
 Hæc igitur nobis tutò sperantibus, ecce
 Nuntius huc (votis sæpè petite) venit,
 Arrectasq; nouis mulcet rumoribus, aures,
 Lætitia medios, impediēte, sonos;
 Rumor hic : electus Gerinus Episcopus, ambit
 Præpositi castas, Infula casta, comas.
 Rumorem hunc primū, dubio metus ore, ferebat,
 Mox ipsum, vltro animis, ipsa secuta fides.
 Dicite, Io Sûcui, lætum Pœana Silesi
 Dicite, iam vestræ, regnat Apollo, domus
 Herciniis siluis vicina Sûcuia, partu,
 Hunc tulit, hacq; sua prole superbit ouans :
 At Pinos inter, benè culta Silesia, adultum
 Fouit, & ornauit, præposuitq; sacris,
 Quem benè Præpositi defunctum munere, plura
 Fas erat, innocua, ferre talenta, manu ;
 En nunc cuncta ferè, haudq; vllis cessura talenta,
 Thesaurum, nostræ penè salutis, habet,

Hunc

Hunc penes imperium est, huic spes affecta recumbit,

Hic miseris requies, hic decus omne suis.

Felix, qui potuit tantas cognoscere dotes,

Cuiq; hominum mores discere cum fuit :

Credibile est, illum inuidia, & popularibus auris,

Altius, ad cælos, exeruisse caput:

Scilicet, acre fuit, tibi cauta Silesia semper

Iudicium, in pretio est consilijq; fides,

Proficis, & semper prudentia maior ab annis,

Quæq; dies, rerum longa magistra, venit;

Arguit hanc, omnis delectus Episcopi, aperte

Præsulum inoffenso, proditur illa, statu:

Quippe omnes vixere pij, clariq; secundo

Euentu, in grauibus, peruigilando malis.

Nec mirum : nam vbicūq; lupus fremit, ore cruento

Ad caulas, vigili hîc vpilione, opus est.

Occulent se igitur, qui vim meditantur ouili,

Slesiadūm, inq; fugam, dent sua terga, lupi.

Dicite Io Sueui, letum Pœana Silesi

Dicite, iam vestræ, regnat Apollo, domus:

Gerinus viduo, ante alios, dignatus honore est,

Præposito nupsit, sponsa relicta, suo.

Huic dabat amplexus, vni huic dabat oscula crebra,

Præpositi primūm, saucia amore fuit :

Solus hic incendit sensus, animumq; labantem

Impulit, hic soli solus, amica quies :

Hanc multi petiēre proci, spes vana procorum,

Ipsa viro voluit, nubere virgo pari:

A iij

Gerini

Gerini vitam nôrat sine labe peractam,
Virgineum os, Thesêi nouerat illa fidem.
Quàm bonus & sapiens, olim hæc edocta tenebat:
Omnia longa dies, ipsum animumq; probat.
Illius, ad superos multum fumare videbat,
Incensas animi thure, & odore, preces
Illum suspiciens semper: quando acribus ausis
Dissereret, quæ sit cana patrumq; fides,
Et quando Hæreticis, fallacia pallia apertè
Demebat, cautis, cautior ipse, lupis;
Tunc illa expleri, mentemq; oculosq; nequibat,
Vno & in obtutu, fixa subindè stetit:
Et quantò magis, attentas aduerterat aures,
Tantò etiam auditis, arserat illa, magis.
Hic illi, errantes loca per deserta, solebat
Creber oues humeris, ferre referre, suis.
Hasq; paradisiis, tutò pascēbat in aruis
Diuùm epulis, Diuùm has, exhilarando, bonis.
Iure igitur vidua hæc Gerinum ardebat, & eius
Conscendit castum, casta quoq; ipsa, torum.
Hunc illi elegit Tharsensis Apostolus, ipse
Paulus, in hoc fixit, singula vota, viro
Connubioq; ambos iunxit, uerboq; iugauit,
Alterum in alterius, ritè dicando, fidem.
Nec mirum: nam quæ, ipse Titoprescripserat olim,
Omnia in hunc, ipsa & spe grauiora, cadunt;
Integra Pontificis natura refulget in isto,
Natura, haud ullis contemnerata malis:

Ille humilis,

*Illā humilīs, nunquam se vasto murmure iactat,
Nullum odit, nullum despicit, æquus amor.
Illā verecunda est, & amat sacra iuni pudoris,
Præmia, Semplicæ virginitatis, habet:
Solut amor diuinus amor, Deus vnus amores
Abstulit, hos semper seruat habetq; sibi.
Non fouet hæc luxum, aut titubans vestigia firmat
Ebria, sobrietas digna, fauore venit:
Illā ignem Empyreum, superũm furata parenti,
Æternum æterno, pascitur illa, foco:
Scilicet affectans cælum, vestigat & altè
Quærit, inaccessi, sensa profunda, Dei,
Atq; illas animas grandes, sine corpore vitas
Perdiscit, quantum fas, hominĩq; datum est.
Omnia quæ, geminis signata in legibus, extant,
Callet, & ad priscos, dirigit ista, patres:
Propterea facile, in populo si quando cictur
Seditio, dictis pectora læua regit,
Moxq;, nouercalis fidei malè coctæ venena
Præsentit, medicas applicat hisq; manus.
Ipsa hæc, ne qua bonos contagia proxima lædant,
Custodit, pascit, purgat ouile suum.
Felix sub tali Respublica Præsule nulla,
Præsente hoc, populum fata sinistra manent:
Mille arcus humeris pendent, thoracæq; mille
Defendunt clypei, hunc protegit ipsa Salus.
Felix sub tali Respublica Præsule, tolle
Pontificem, tolles omnia, teq; simul:*

Namq;

*Namq; homines superosq; inter, componit amicum
Fœdus: quo rupto, quæ valuère, ruunt.
Cum tantis igitur viget hic virtutibus Heros,
Munus & hoc, Paulo iudice, dignus init,
Nil datur inuidiæ, procul & fauor exulat omnis :
Quicquid habet, Diuûm est, & pietatis, opus.
Viuite felices animæ, boni Episcopi vterq;
Ille illic, hîc tu viue, sed ambo Deo.
Viue diu ô præsens, miseros solare labores.
Sis bonus, vtq; caput membra tenella foue;
Sic ea, quæ nuper multum deflebat ademptum
Præsulem, in amplexus, ibit amica, tuos,
Omnes teq; suum dicent, plausuq; probabunt
Vnanimi, modus & nullus amoris erit.*

CRACOVIAE ex ædibus Stanislai Socolouij, Regis
Poloniæ Theologi, 4. Nonas Nouembris.
Anno Domini: 1 5 8 5.

